


vlg





Gr. 2. num. 22. ~~15~~

20.

Divinâ favente Gratiâ, No 79, 16

Consentientibus Superioribus,

De

**CORPORE DELICTI
IN CRIMINIBUS FACTI
PERMANENTIS POTIORIBUS
AD EFFECTUM CONDEMNA-
TIONIS CONSIDERATO**

Disputabunt publicé

P R Æ S E S

**Wilhelm ROMANUS, Lichtenstei-
nensis, J. U. D.**

Curiae Supremæ Provincialis & Consistorii Ecclesiastici Li-
psiensis Advocatus Ordinarius, nec non Judicii Saxo-
Ducalis in inferiori Lusatia Assessor,

&

Respondens,

**THOMAS WENCESLAUS Sattermann /
Reval, Livonus,**

Ad diem 23. Octobr. Anno 1679.

Horis locoqve consvetis.

IDENTIFIKATION
UNIVERS.
ZVHALT

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORG.

L. A. Sattermann 13



Conferentibus Superioribus

DE
CORPORE DELICTI
IN CRIMINIBUS FACTI
PERMANENTIS POTIORIBUS
AD EFFECTUM CONDEMNATIONIS
CONSIDERATO

Disputavit publice
P R A E S E N T I
Gustavus ROMANUS, Lichentse
nensis, J. U. D.
Cuius Supremae Provincialis & Consistorii Ecclesiasticae
paulatim Advocatus Ordinarius, nec non Iudicis Saxo-
Ducalis in inferiori Curia Assessor,

Respondens
THOMAS WENCKE, A. L. S. Sattelmayer
Reval. Livonus.

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG
V. HALL

Ad diem 23. Octobr. Anno 1879.
Hinc locupletis contentis.

L. 1879. K. L. K. J. G. G. G.





I. N. J. C. A!

CAPUT I.

De

PRÆCOGNITIS QVIBUSDAM AD
MATERIAM CORPORIS DELICTI
PERTINENTIBUS.

§. 1.

Judici in Criminalibus causis versanti ante omnia de Corpore delicti necessartò constare debere, tritum satis & indubitatum est Juris Principium.

§. 2. De quo tamen priusquam plura faciamus verba, ex-
cutienda penitus ipsa Corporis Delicti significatio videtur, quam
quidem duplicem deprehendimus, alteram propriam, alteram impro-
priam. Propriam quod attinet, cum eadem ex ipsa vocum vi & indole
nascatur, & illud ipsum corpus, quod delictum jam perpessum est, in-
nuat, nec quicquam per se involvere videatur, nec multis de ea jam soli-
citi sumus, necesse est.

§. 3. Ad posteriorem itaque transfiliamus potius, per quam Dd. &
Interpretes ipsum factum & delictum perpetratum indigitant, ita, ut
quando dicunt, Judici de Corpore Delicti constare debere, per illud ipsum
nihil aliud, nisi ut Judici de certitudine & veritate non solum facti & de-
lictum commissi, sed doli etiam concomitantis vera & indubitata ex omni-
bus circumstantiis & qualitatibus apparens fides fieri debeat, sibi velint.
Incongrua quidem & satis aliena ab ipsis termini verbis significatio, cui ea
propter tanquam barbaro loquendi modo & variis, quas Dd. movere
solent, difficultatibus adminiculanti valde indignatur *Tabor in Dissert.*
de Tort. cap. 4. Th. 3. ita feliciter tamen ex scholis veterum rem magis

A 2

quam

quam verba curantium Jurisconsultorum ad aetatem nostram transplantata, ut quemvis de quolibet delicti corpore agentem promiscue hoc Termino uti experiamur.

§. 4. Fluit interim ex jam dictis Corporis delicti in utroque significato accepti Descriptio. Prior per se patet, posteriorem vero ita restauramus, quod sit ipsa criminis dolose commissi veritas, de qua fides per media in jure probata Judici facta, eum in finem, ut delicta vindicentur. Qui finis utriusque communis.

§. 5. Cetera Corpus Delicti aliud dicitur externum, aliud internum, per illud intelligunt Corpus Delicti prioris significationis & physicum, quod etiam Corpus facti dicitur *Guazz. ad defens. Reor. def. 4. n. 6.* Per hoc delicti veritatem in posteriori significato propositam *Feltmann. de Cadav. insp. cap. 50. n. 11. Farin. Pr. Crim. p. 5. quest. 127.*

§. 6. Cum vero dixerimus §. 1. ex trito Juris principio Judici necessario de Corpore Delicti constare debere, ea propter in necessitatis hujus partim fundamentum, partim finem inquirendum.

§. 7. Fundamentum & lege nititur & ratione.

§. 8. Inter LL. nostris quidem in Provinciis obtinentes 1. ex Jure Civili Dd. quorum quidem solus *Jul. Clarus lib. 5. §. fin. quest. 4. n. 1. tit. b.* dissentit, an recte, dubitare licet, praeter ceteris, quas *Farin. Prax. Crim. lib. 1. tit. 1. quest. 1. n. 6. & Carpz. p. 1. quest. 16. n. 1.* longa serie recensent *l. 1. §. 24 ff. de Scto Syllan.* hanc in rem primo nominare loco & in eam propriam materiae sedem collocare consueverunt, cujus rei testis est, *Dan. Moller. lib. 3. Semestr. c. 40. in princ.* Jus quoque Imperiale, si percurramus 2. Idem illud ex *Ord. Crim. Carol. art. 6. 54. 161.* & aliis pluribus apparet; Cui non minus in specie 3. Consona sunt Jura nostrarum Terrarum Saxonica, ex quibus calculum nobis adjiciunt, *Landr. lib. 1. art. 36. Churfürstl. Sächs. Policen-Ord. de anno 1612. tit. von Justitien Sachsen n. 5. Const. Div. Aug. Elect. 33. part. 4. in rubro* & alia loca plura, quae, cum cuius nota sint & obvia, consulto pede sicō transiliuntur.

§. 9. Rationis praeterea, ex quibus inquirendi in Corpus Delicti necessitas fluit, quod attinet, operae nimium & temporis consumeremus, si earum omnes, quas finxerunt passim Dd. colligere & in chartas hasce conjicere vellemus: Conquiramus itaque tres potiores saltem, quarum praecipuam cum *Farin. Pr. Crim. lib. 1. tit. 1. quest. 2. n. 2. Tabor. in Diss.*

de



de Tortur. cap. 4. n. 4. exinde nasci, contendunt, quod scilicet ubi lex aliquid respectu certæ rei disponit, prius de re illa constare certè debeat, quò & cæteræ, quas *Tabor. alleg. loc.* subnectit, si penitiùs exeutiantur, rationes recidunt. Ineptum enim nimis foret, quærere prius de qualitate, quam de re ipsa constiterit *l. 27. ff. de Testam. milit.* Accedit 2. quod *Ulp. in l. 13. §. 17. ff. de quest.* suppeditat, non esse scilicet in potestate alicujus delictum facere, suoque corpori, cujus tamen per *l. 13. pr. ff. de L. Aquil.* Dominus non est, pœnam accedere, ubi delictum nunquam fuit. Pertinet hæc 3. quod in Criminalibus versari & mortis pœnam definire, res magni sit ponderis atque periculi, ideoque in iis probationes non solum facti ipsius; sed & qualitatis atque circumstantiarum, cum ex illis pœna vel durior, utne delicta justis non vindicentur suppliciiis, vel mitior ut ne innocens impari delicto pœna afficiatur, adeoque inculpati innocentia dimetienda veniat, luce meridiana clariore requiruntur *l. 1. C. de prob. præprimis cum accidisse sciamus & hujus triste nobis exemplum Moller. lib. 3. semestr. c. 40.* reliquerit, quosdam ex aliis causis coactos criminis, quo se nunquam tamen contaminaverant, fontes se falsos, ex sola sua confessione ad pœnas imprudentes fuisse raptos. Qua propter non immerito corpus delicti in omni causa criminali necessario requiri asseruimus, in tantum, ut in omni dispositione, constitutione, atque statuto pœnam aliquam imponente, aut si data alicui fuerit facultas procedendi nullâ servatâ solennitate, subintelligi semper oporteat; dummodò de Corpore Delicti constet: *Sebast. Guazz. in Tract. ad Def. Reor. def. 4. c. 1. n. 2. & seqq.*

§. 10. Quibus præstructis & cum generalia sint hæc omnia, dubitare nemo facile poterit quin de Corpore Delicti in criminalibus (atrocibus scilicet & ultimo supplicio expiandis: In cæteris enim levioribus & pœna vel corporis afflictivâ, vel pecuniariâ, aut aliâ quâdam mitiori coercendis ex nudis conjecturis condemnari posse reos ex *Menoch. de presumt. lib. 1. quest. 97. n. 17.* discimus) non facti solum permanentis, sed transeuntis etiam constare Judici debeat, hæc admitta tamen differentiâ, ut in posterioribus & iis etiam, quæ solò animò perficiuntur, indicia leviora, conjecturæ & præsumptiones, præprimis si à jure sint, sufficiant, de quo latius *Boërius Decis. aur. 146. n. 4. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 20. n. 8.* Rem autem secus se habere in prioribus ex infra deducendis patebit.

§. 11. Quæ tamen omnia cum grano salis, & ita, quantum scilicet

possibile & pro ratione delicti fieri potest, intelligenda. Fluit hæc limitatio non solum ex ipsa rei natura, quâ ad impossibilia nemo obligatur; sed & præterea ex ipsis generalissimis Nemesis Carol. verbis *art. 6. §. 1. Darzu sol auch etc.* Quod plenius explicuit *Manz. in Comment. Ration. ad Carol. Sanct. Crim. alleg. loco n. 28. & seqq.*

§. 12. Finis ex verbis Definitionis §. 1. hujus cap. generalis Delictorum vindicatio, quæ consistit partim in præparatione, partim in consummatione, ad illam pertinet 1. Inquisitio (res enim nobis per totam hanc Disputationem non erit cum Processu Ordinario, sed inquisitorio.) 2. Tortura, ad hanc Condemnatio & Executio. Unde facile colligendus diversus, quem diximus, necessitatis respectus, dum Judici de corpore delicti constare debet aliter quidem ad effectum inquisitionis, aliter ad effectum torturæ, & aliter ad effectum condemnationis *Jul. Clarus l. 5. sent. §. ult. q. 4. n. 2. Matth. Steph. in not. ad Ord. Crim. art. 6.* Quamvis, si res penitus perpendatur, ultimos duos effectus parum inter se, modo confessionem ex reo per torturam eliciendam excipias, differre fatendum quod & *Matth. Steph. in not. ad Art. 9. Ord. Crim. Carol.* annotavit.

§. 13. Secundum quem triplicem etiam effectum considerandum esset in hac nostra Disputatione Delicti Corpus. Veruntamen cum, si exequi hanc methodum susciperemus, omnem indiciorum materiam lustremas, necesse esset, quo casu, ne Disputationis limites excederemus, metuendum, ideò tertium saltem, quem condemnationis esse diximus, respectum sub incudem impræsentiarum revocabimus, ita quidem, ut cum omnia, quæ de Corpore Delicti impofterum dicentur, ad informationem Judicis tendant, quæ ratione Corpus Delicti Judici probari debeat, priusquam ad sententiam condemnatoriam deveniat, exponemus. Faxit Deus feliciter!

CAPUT II.

De PROBATIONE CORPORIS DELICTI IN DELICTIS FACTI PERMANENTIS.

§. 1.

Delicta alia sunt facti permanentis, quæ vestigium post se relinquunt, & oculis subjici possunt; alia facti transeuntis, in quibus vestigium aliquod non remanet. Nos in præsentia delicta prioris
gene

generis sub Disputationis incudem revocamus ita tamen ut delicta illa facti permanentis dispecamus in delicta manifesta, & non manifesta, per quæ posteriora ea delicta, etiã in quibus cum objectis ita, ut ejus copia haberi non possit, actum fuit, intelligimus, quæ cum ex mente *Brunn. in Tr. de Proc. Inquis. c. 7. n. 9.* ad delicta facti transeuntis numerentur, huc non pertinent.

§. 2. Probatur verò Corpus Delicti ratione prioris generis vel per ocularem inspectionem, vel per indicia, vel per utrumq; conjunctim. Ex quo colligendum faciliè, quid de signis ut plurimum ex cadavere ipso, vel, ut rarius, ejus vestimentis sanguine conspersis sumi solitis, Germ. *Leibzeichen* sentiendum. Olim equidem talia signa à mortuis petita fuisse, non eum quidem in finem, ut illud cadaveris membrum in cubiculo, ubi suspectus criminis custoditur, asservetur, & ex ejus cruentatione, si talis contingat, suspecti culpa, si secus, ejus innocentia æstimeretur, quã in re mirum in modum fefellit *Lyncæus Paul. Zacch. qq. Medico-Legal. 8. lib. 5. tit. 2. n. 8.* Sed ideò, ut Corpus Delicti, sive ejus veritas tantò plenius probari possit, quod ex *Chil. König in Proc. Jur. c. 144. von der Acht §. 1. 2.* & aliis videndum. Hoc ipsum tamen in desuetudinem hodiè abiisse, non solum experientia, sed etiam eum in finem non necessaria esse hujusmodi signa *Carpi. autoritas p. 3. quæst. 136. num. 90. in pr. Crim. testatur.* Nihilominus tamen hæc eadem, si de jurisdictione disceptetur, ad docendam præventionem valdè proficua esse *Feltmann. de Cadav. Inspic. cap. 11. §. 3.* notavit.

§. 3. Ad ea, in quibus per ocularem inspectionem Corpus Delicti probatur, primò locò numero Homicidium Delictum notius & frequentius, quàm quod de descriptionis indigeat.

§. 4. Priusquam verò ad ipsam ocularem inspectionem descendamus, operæ pretium esse videtur, ut scrutemur quædam, quæ ut plurimum inspectionem Cadaveris præcedere & pro tantò facilius eruenda Corporis Delicti veritate observari solent. Quorsum i.) pertinet Erectio mortuorum, Germ. *das Aufheben der gefundenen Todten Körper.* Solent enim Judices unà cum Scabinis & Judiciis ministro, dem *Grohnbohren* in locum, ubi corpus exanime repertum fuit, se conferre & curare, ut istud certis ut plurimum ritibus, evaginatio scil. gladiò, manu ferrea, & aliis in nomine S. S. Trinitatis per dictum jam ministrum erigatur, & certum in locum sectioni destinatum reportetur. Pertinet hic actus ad
su-

superiorem five Criminalem Jurisdictionem *Knich. de subl. terr. Jure c. 3. n. 266.* nec à quovis alio; nisi ad quem eo in loco ubi prostratum cadaver jacet, altæ jurisdictionis exercitium spectat, expediri potest, unde fit, ut quamvis homicidii reus sub alio quopiam magistratu, quam in cujus territorio commissum fuit maleficcium, forum sortiatur & ad poenas promeritas rapiatur; nisi personalis jurisdictionis privilegio gaudeat, de quo pluribus *infra. §. 11.* Ille tamen sibi erectionem cadaveris inventi sumere non possit; sed necessum habeat, ut Judicem Jurisdictionis loci requirat, qui erectionem quidem ut plurimum sectionem simul ipsam procurat, consignatarum tamen hæc de re scripturarum, quas registraturas communiter vocant, copiam inquiringenti Judici facere solet.

§. 5. Quemadmodum enim ratio, cur Erectiones inventorum cadaverum curari & suscipi solent, in eo consistit, ut mediante sectione, quâ ratione eidem mors accita fuerit, explorari, atque Judex de Corpore Delicti tantò certior reddi possit; ita hæc ipsa Erectio primus jurisdictionis gradus reputatur, *Besold. Polit. part. 1. cap. 12. n. 78. v. 4.* quam ab alio quopiam violari nefas omninò esset, ideoque huic, ne tale quid accidat, ita diligenter invigilare iudices videmus, ut comperiamus sæpius, si jurisdictio loci, in quo cadaver repertum, controversa forte fuerit, sepultum jam cadaver armatâ manu effodi & in illius Domini territorium pro tuendâ jurisdictionis possessione reportari, *idem Besold. Conting. Thes. Pract. p. 845.* undè etiam, & quo minus aut sectiones ipsæ impediuntur, aut Magistratui hæc in parte quidquam detrahatur, factum, ut ne privato cuidam sine licentia superiorum hujusmodi cadavera sepelire liceat; nisi puniri arbitrariè carcere vel ære velit, de quo *Vasqv. lib. 3. illustr. quæst. 96. n. 10. Carpz. in Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 24. def. 375. n. 12.*

§. 6. Contra verò cadaver aquis immersum ad littus pellere, atque quoad antenus extrahere non solum cuiusvis religio & pietas; sed & necessitas, ut ne sc. indigna putredine consumantur cadavera svadere videtur, in quo tamè casu moris esse *Feltm. de Cad. inspic. cap. 9. §. 13.* asseruit (an ubique vix crediderimus) ut cadaver in ripa fluminis juxta aquam ita ponendum ut calcanei linquantur in aquis, cujus rei quidem ratione veram atque firmam ipse alleg. Autor suppeditare nequit, an verò divinandò quid præstiterit, B. L. quem ad cit. loc. remitto, judicabit.

§. 7. Tenenda multò potius opinionum varietas, quâ quærentibus, cui competat Erectio cadaveris in confinio Jurisdictionis reperti?

Dd,

Dd. obveniunt, dum alii ex capite, alii ex corde, alii aliunde lites hasce dirimendas esse censuerunt, quibus tamen rectè quod *Bacchov. ad Trentl. vol. 1. Disp. 19. th. 4.* alia in causa huic nostræ non dissimili visū fuit, regerendum, in hujusmodi scilicet quæstionibus decisionem non à præstantia partium corporis dependere, sed ex conjecturis ad rem pertinentibus petendam esse. Quod si verò & hæc dubiæ videntur *Carpzov. p. 3. q. 110. n. 36.* litigantes ad arbitrium judicis, & hoc cessante tandem eò, ut erectionem cadaveris utriusque vicini simul suscipiant; remittit, quod latius prosequitur *Arumæus Discurs. Acad. 13. quæst. 13.*

§. 8. Magis expedita res esse videtur circa cadavera reperta in viis publicis & regiis per jurisdictionem alteri concessam se porrigentibus, præprimis in terris nostris Electoratus Saxonici. Cum enim ex tenore *Const. D. Georgii Ducis Saxon. anno 1506. promulgata & anno 1600. & 1609. nec non in Erled. der Landes-Gebrechen de anno 1612. tit. von Justitiens Eachen §. 24.* repetita iis, qui in terris viæ publicæ vicinis jurisdictionem altam exercent, cognitio etiam delictorum inibi commissorum concessa sit, non videmus sanè, quid obstet, quo minus erectionem cadaverum in iis repertorum vindicare sibi possint, idque tantò magis, quanto veriùs, textum in alleg. *Erled. de anno 1612.* esse generalissimum in verbis alle *Händel/so sich auff denen Strassen begeben.* Secus verò res se habet in terris atque Provinciis aliis laudatam supra constitutionem non agnoscentibus, ubi sicuti cognitionem ipsam circa delicta; ita etiam erectionem cadaverum in viis publicis inventorum jure Regalium illi, quibus tale competit, sibi attribuunt. Neque dubium, quin, quantumvis cadaver non intra orbitas hodiè vel heri ductas prostratum jaceat, si modò intra octo vel sedecim pedes circa viam teri ut plurimum solitam reperiat, ille qui Regalium splendore fulget, erectionem illam jure sibi sumere possit, idque *arg. l. 8. ff. de servit. præd. rust. & Sächs. Weichbild art. 130. ibiq. Gloss.*

§. 9. Alterum, quod in hoc capite præmittendum venit, est ipsius sepulti cadaveris Exhumatio, quam unanimiter, si occisus ante Inspectionem judicialem illatus terræ fuerit, requirunt *Jod. Damboud. in Præf. Crim. c. 75. n. 1. Farin. præ Crim. lib. 1. tit. 1. quæst. 2. n. 5. Bajard. ad Jul. Clar. quæst. 4. n. 5.* & alii plures in communem cum erectione cadaveris finem. Circa hanc exhumationem duo præ cæteris notatu digna videntur *Seb. Gravz. ad def. Reor. def. 4. c. 2. n. 10. & 1. quidem, quod ea*

B

dem

dem absque licentia Episcopi sub Excommunicationis poena fieri non possit, & 2.) hic si recuset ad Metropolitanum eapropter appellandum sit. Prius quod attinet, hoc ipsum extra dubium quidem positum esse videtur eò saltem in casu, quò cadaver Cœmiterio illatum fuit, cum exhumationis actus omninò sit jurisdictionalis, Episcopo autem jurisdictionis in Cœmiteriis competat, quam violare nulli unquam licitum. Quod si verò cadaver extra locum Cœmiterii sepultum fuerit & exhumandum veniat, actum hunc ex concessione Episcopi nequaquam dependere veritati magis consentaneum esse videtur, nec quicquam in contrarium *l. 8. pr. ff. de Relig. & sumt. fun.* aut *can. 37. de Consecrat. dist. 1.* quos textus *Ungebauer. in Comment. Posth. ad Decretal. tit. de sepult. n. 10.* notavit, movere poterunt, ideò, quod diversissimi ab eo, qui sub manibus nostris versatur, casus in iisdem comprehendatur. Interim per Appellationem, cujus supra mentionem fecimus *Gvazz.* non remedium illud devolutivum, quò à sententia inferioris ad superiorem certis intermediis requisitis causa defertur, sed tantum nudam implorationem auxilii Metropolitanani contra Episcopi pertinaciam justitiæ cursum impedituram intelligere, vel exindè patet, quod si secus, exhumatio illa propter subsequentem interim, & corpus sectioni ineptum reddentem putredinem fieret frustranea & Appellatio in effectu inanis.

§. 10. Alterum, quod circa exhumationem cadaveris tenendum putat *Gvazz. alleg. loc.* consistit in adhibendis super eadem testibus, idque duplici ex causa, tum 1. si notus fuit eo in loco occisus, ut examinentur atque deponant mediante juramento, se cognovisse, dum vixit illud cadaver hominem, atque hac ratione non alterum pro altero effossum sit, tum 2. ut de vulneribus in cadavere existentibus eorumque ratione & qualitate fidem tantò penitiorem Judici faciant, de quo posteriori & an testes illos jurare oporteat juramentum credulitatis vel veritatis, infra pluribus. Neque tamen interim, quod prius attinet, de numero testium hæc in parte sufficienti dubium què movere posse credidissimus, cum manifesti juris sit, duos testes perfectam inducere probationem *l. 12. ff. de Test.* quod & ita in Crim. procedere *Farin. Pr. Crim. lib. 2. tit. 6. q. 63. n. 233.* etiamsi agatur de probatione Criminis contra Pontificem maximum & *Mascard. de Prob. vol. 1. concl. 461. n. 9.* nisi auctoritas *Scacc. in Tract. Crim. quest. 83. n. 11.* aliud svadere velle videatur, requirerentis plures quam duos hac in re examinandos esse testes. Verùm cum degenerem à communi hancce suam

suam opinionem neque autoritate neque ratione muniat, veremur, ne legi pariter & observantiae communi per hoc quidquam detrahat, in nostris praecipue terris, de quibus quid inibi praxis introduxerit, & quod quae jura Saxonica antiqua de numero testium vel septuagenario in *Landr. lib. 1. art. 6.* vel septenario *ibid. art. 8.* disposuerunt, usu dudum obsoleverint, videndus *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 16. n. 46. & 50.*

§. 11. Cavebit praeterea sibi sedulo sectionem curaturus, ne cadaver inspiciendum per jurisdictionem alterius, si necessitas ita tulerit, in salutato eo transvehi permittat. Legem hanc de re expressam suppeditat *Ulp. in l. 3. §. 4. ff. de sep. viol.* cujus duplicem deprehendimus rationem, tum quod subterrations & sectiones, cujus gratia ab illo ad hunc locum cadavera transportantur, ad actus meri imperii referantur *Brunn. ad l. 3. §. 4. ff. de sep. viol.* ideoque si tale quid absque praesentia ejus, cui hoc competit, tentetur, hic praesumatur, violare voluisse ejus jurisdictionem & improbae machinationis suspicione se onerat *Feltn. de cadav. inspic. c. 39. §. 7.* & praeterea actione injuriarum conveniendus sit, tum ne detur occasio tumultui, quibus Pauli verbis *ex l. 176. de R. J.* utitur *Matth. Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 5. n. 99.* Et his ipsis procul dubio motus Potentissimus Elector noster Saxoniae in casu ferè simili §. 44. *der N. Erled. Tit. von Justit. en Sachen* omnes suos subditos eò remittit, utne quis per jurisdictionem alterius absque ejus praesentia delinquentes transvehi concedat.

§. 12. Unde porro & hoc fluit, multò minus sectionem cadaveris ipsam in loco alterius jurisdictioni subiecto hòc insalutato & non consentiente suscipi jure posse. Nititur haec assertio praesuppositò, quod sectiones ad eum, qui jurisdictionis altae exercitium atque de criminibus atque eade cognitionem habet, pertineant, quapropter ille omnes, qui in loco jurisdictioni suae subiecto reperiuntur enecati, sectioni subicere poterit, modo personali jurisdictionis privilegio non sint exempti. Eo enim casu jurisdictionem praedialem à personali probè discernendam & non ad Magistratum loci, ubi reperitur; sed personae, quae reperta, sectiones istas pertinere, ideoque Clericum ab eo, cui Episcopus hoc commisit, Academicum à Rectore, militè à Praefecto, sectioni esse subiciendum, ex jam dictis fluit, quod prolixè & per multas paginas deduxit *Feltn. de Cadav. inspic. c. 4. 5. & 6.* cujus rationes & fundamenta transcribere prolixum nimis foret, atque tædiosum.

§. 13. Sed numne Locatori Jurisdictionis altæ absque præscitu
 Conductoris in eadem tale quid tentare & corpus secare fas erit? Accidit
 non ita pridem in praxi furfuris hujus nobis casus, ubi P. C. fœmellam in
 villa Electorali globulo enecatam in domum Chirurgi ad Jurisdictionem
 Senatus conductoris iudubiè pertinentem, ibidemq; secari insalutato
 Senatu præsumserat. Ægre hoc ferebat Senatus, ideoque initio contra
 P. inhibitioni, quam petebat, pœnali consuli sibi sed perperam, existima-
 batur. Cum verò postmodum ad saniora consilia & actionem injuria-
 rum æstimatoriam reverteretur, Reus exceptione non competentis se tu-
 ebatur, & jure se, cujus postulabatur, egisse confidebat. Aiebat enim
 1. officinas Chirurgorum multis & plerisque in locis sectionibus hujus-
 modi destinatas, & earum quasi proprias tacitave quadam conventione
 cuivis tale quid in iis autoritate propria præsumere concessum esse, præ-
 primis cum in casu præsentis prohibitum nunquam fuerit, Chirurgo, ne
 sine præscitu magistratûs concedere sectiones in officina sua debeat 2.
 Actorem Jurisdictionem hanc ex contractu locati conducti exercere,
 manente semper apud locatorem P. proprietate, & exinde seqvi, quod si,
 quam posebant Actores, de non amplius turbando, cautionem præstare
 reus deberet, locatorem eodem sibi ipsi absq; omni effectu obligare se o-
 porteat 3. Solos Jurisdictionis fructus Senatui locatos fuisse
 contendebat reus, unde inferendum arbitrabatur, nullum ac-
 tum Jurisdictionalem, nisi qui fructus certos spargeret, con-
 ductori esse expediendum, idque 4. tantò minus, quantò ve-
 veriùs, quorundam actuum Jurisdictionalium steriliùs exercitium insa-
 lutato conductore locatori esse concessum, ex quibus præcipue (a)
 Exactionem reddituum Electoralium à subditis Jurisdictioni adscriptis,
 (b) persecutionem & apprehensionem fugitivorum in ipso etiam locatæ
 Jurisdictionis meditullio & (c) non solum constitutionem & formationem
 Judicii Criminalis in eodem ipso loco, die Hege und Haltung des Hoch-
 notheinlichen Halsgerichts / verum etiam (d) ipsam ultimi supplicii
 irrogationem allegabat; ex eaque concludebat ducto, quidem argumen-
 to à majori ad minus, ex hac sectione Senatum C. turbationem Jurisdi-
 ctionis neque allegare, neque actionem contra se intendere posse; præ-
 primis cum (e) concedens inferiori Jurisdictionem intelligatur eam non
 privative, sed cumulative concessisse *Carpzov. p. 3. Dec. 208. n. 52.* adeò
 ut etiam potestas & Jurisdictio superiori concedenti adversus inferioris

jp.

judicis homines competat, *Menoch. lib. 2. p. 18. num. 1. Andr. Rauchb. p. 1. q. 13. num. 13.* & quæ erant cætera. Actores replicando allegabant *l. 3. ff. 3. Const. Princ. & l. 41. C. de Episc. & Cler.* ex quibus beneficia Principum latissimè intelligi debere patet, & rationes atque fundamenta, quibus reus usus fuerat, se non ferire existimabant. Quantumvis enim (a) ponerent, officinas Chirurgorum sectionum esse quasi proprias, hoc tamen legaliter, & ne tertio exinde nascatur præjudicium, intelligendum esse dicebant, neque verò ex iis, quæ alicujus incommo- do cedunt, tacitam conventionem aut concessionem præsumi posse *Menoch. l. 2. p. 24. n. 8.* aut expressam hac ex parte prohibitionem necessariam fuisse, quam ipsam juramentum, quod Chirurgus Senatui, se omne ejus emolumentum promoturum, nec contra hoc quicquam concessurum, dixerat, generale, speciale illud secum comprehendat, Quoad (b) dabant eque- dem Actores, se locati titulo altæ jurisdictionis exercitiò defungi, non tamen obtrudi sibi patiebantur, per cautionem petitam locatorem, cujus vices reus sustinebat, se sibi ipsi frustra obligare, sed ad locationis & con- ditionis tempus saltim cautionem istam restrictam, eamque hoc finito om- ninò exspirare volebant. Ratione (c) concedebant eque- dem Acto- res, se fructus ex Jurisdictione locata suos facere & forte locatorem in- titu harum certam posuisse mercedem à conductore præstandam: In- terim tamen ex literis contractus formulam: *Es solten ihnen die Ober- gerichte verpachtet seyn* Actores allegabant, & exinde agebant, plenum Jurisdictionis hujus exercitium in se translatum fuisse, quod cum non in sola fructuum perceptione, sed etiam defensione imperii ipsius vertatur, se non ut turbationes hæc concoquant, adigendos, idque (d) tantò mi- nus, quantò verius, quod quantumvis Reis liberum sit & liceat, insaluta- tis Actoribus certos quosdam Jurisdictionis actus vel in ipso ejus medi- cullio exercere, non solum tamen argumentum à majori ad minus in jure destructivè sive negativè saltim, nequaquam verò affirmativè proce- dat. *Nicol. Everh. in Loc. Top. à Majori n. 1.* sed etiam actus allegati no- minati & expressi in literis contractus reperiantur & taxativam implici- tè sub se comprehendant. Quantumvis etiam quoad (e) (pergebant Acto- res) largiendum aliquando sit, quod superior concedens inferiori jurisdi- ctionem intelligatur, eam non privativè, sed cumulativè concessisse, fallere tamen hoc præsuppositum si quis Jurisdictionem vel titulò onerosò *Pet. Meig. Part. 2. q. 2. n. 2.* vel per contractum, quod utrumque in præsentibus

concurrat, acceperit, *Berlich. p. 1. Concl. 2. num. 16.* in quibus tamen omnibus, cum lis adhuc sub Judice versetur & reus possessionis jure hactenus se tueatur (unde tamen nova quaestio, cum non sectiones quidem mortuorum, inspectiones tamen vulnerum lethalium in vivis in officina Chirurghi saepius expeditas fuisse, & quidam Actoribus non contradicentibus, reus demonstraverit; an ab his ad illas possessio inferenda sit, orta fuit, cujus affirmativa prevalere videtur) judicium nobis non sumimus, à superioribus istud propediem expectaturi.

§. 14. Sed revertimur ad ipsam sectionem, ad quam quanto citius, & sine mora properandum esse ubique interpretes svadent, non equidem propter rationes, quas *Feltmann de cad. insp. c. 11.* è longinquo valde confarcinavit, sed ideò præcipuè, ne fortè propter moram, quæ à judice interponitur delinquens ipse in fugam se coniciat, & ne detur ejus Fautoribus & amicis spatium testes de negotio ipso informatos subornandi & à veritatis dispositione deterrendi, quæ verba sunt *Jul. Clar. lib. 15. sent. quest. 5. num. 1.* Cui & hoc addendum, quod si judex moras in secando cadavere necti patiat, istud interim putredine, corrumpatur, foetorem spirare incipiat, & quo minus inspectio rite & ex acte fieri possit, per hoc impediatur.

§. 15. Ad sectionem hanc ipsam vigore *Nemeseos Carolina art. 249.* requiritur praesentia 1) Judicis 2) Scabinorum 3) Notarii & 4) Medicorum. Judicem quod attinet, per eum in praesenti non magistratum intelligimus ipsum, neque alium quenquam, qui venire alias sub hoc nomine solet, sed Scultetum sive eum, per quem, qui mero & mixto imperio gaudet, exercere illud ipsum consuevit, *Germ. Land-oder Dorff Richter/ Gerichts-Schulzen/ etc. etc.* Circa quos & Scabinos ipsos notandum, quod sanctio Carol. hic praesupponat tales, quales requirit *Specul. alleg. à Berlich Part. 1. Concl. 8. n. 6. & seqq. ChurJurist. Sächs. Proc. und Gerichts-Ordnung Tit. von denen Gerichts-Secretarien §. also versehen wir uns etc.* Neque verò cuiquam, quò minus officio vel judicis vel Scabini admoveri possit, natales obstare putamus; sed multò potius & ex spurio natos, & legitimatos & spurios ipsos Judicis & Scabini muneri praefici omninò posse credimus, tum tamen demum, si sit ille, bonæ virtutes, honestæque vitæ, & propriis se vitiis non commaculaverit, quod ipsum etiam contra *Mynsing. cent. 4. observ. 31.* voluisse videntur *Hartm. Pist. lib. 1. quest. 30. Thoming. Decis. 47. Carpzov. part. 2.*

Dec.

Dec. iii. n. 8. & seq. Secus tamen se rem habere in stupratore & Fornicatore ex *alleg. Carpzov. p. 1. Decis. 17.* discimus, & existimamus ideò, neque adulterum, cui uxor veniam largita fuit, neque fornicatorem, alterutri ex officiis hisce præesse posse, idque *arg. l. 22. ff. de his, qui not. infam.* Deinde præsupponit sanctio Carolina juramento in genere adstrictos esse iudicio iudicem pariter atque Assessores sive Scabinos. Hoc ipsum enim in iudice, sive majori sive minori, nec non in Scabinis requiri necessario, nec statuto, nec consuetudine remitti posse fusiùs exponit *Mynsing. cent. 2. obs. 26.* munitus rationibus, quas collegit *Manz. in comment. Ration. ad const. Crim. Carol. art. 3.*

§. 16. Rationes interim cur iudicem ipsum sectionis actui interesse necessario oporteat, recensentur à *Feltm. de Cadav. inspic. cap. 40. num. 4. & seqq.* quarum 1) quod inspectio cadaveris sit actus jurisdictionalis & meri imperii, quod specialiter alicui personæ propter spectatam inter bonos moderationem atque prudentiam conceditur, 2) quod, dum inspicitur cadaver, interrogationes faciendæ sint, de quibus *Brunnem. de Process. inquisit. c. 7. num. 28. & seqq.* 3) (quæ quidem inter cætera levissima) quod vulgus iudicis reverentiâ tangatur, 4) quod actus hic probatione exerceatur, ideoque cum maximi sit momenti, in quo salus rei magna ex parte consistit, à iudice ipso expedientus & 5) ut ne Medici aliud, quam quod veritati consentaneum, in favorem rei aut cognatorum deponant.

§. 17. Neque verò iudicem hoc in casu operâ alterius vicariâ uti posse plerique Dd. conveniunt, neque sine ratione 1) enim in genere eum cui ministeriû aliquod commissum est subdelegare nõ posse *Gail. lib. 1. obs. 97. num. 1. & 2.* lege pariter & ratione nisi asserit, præprimis 2) in causis arduis & quoties, quod in iudice contingit, industriâ personæ electa fuit *l. 31. pr. ff. de solut.* 3) quod si subdelegatio concedatur ex eadem delictum facile oriri possit, quod latius deduxit *Rutg. Ruland. de Commiss. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 10.* Quod ipsum tamen Berlich *part. 1. concl. 8. num. 44.* ad consensum & approbationem Magistratus penes quem est Jurisdictio restringit, id & quod verum.

§. 18. Deinde Scabinorum, qui propter rationum paritatem æquè minùs ac Iudex ipse mittere vicarios possunt, præsentia requiritur, de quibus, eorum denominatione, origine & cæteris *Joh. Gryphand. de Veichbildis Saxon. c. 64. n. & seqq.* plura suggerit. Eorum interim
offici-

officium in eo consistit, ut Judici in Jurisdictionis exercitio & consiliis assideant *Vvesenb. in Parat ad tit. ff. de offic. Assess.* Tales autem ideò hoc in actu adhibendi sunt, quia neque in aliis iudex solus absque Scabinis Acta Judicii constituere potest. *Vvesenb. in Addit. Schneidevv. ad tit. Inst. de Testam. Ord. rubr. de solemnitatib. testam. n. 17. lit. F.* Et numerus quidem est binarius, ita intelligendus, ut duos ad minimum interesse Sectionis actui oporteat, *Carpz. p. 1. q. 26. n. 32.*

§. 19. Succedit his ex præscripto Nemes. Car. Actuarius, qui nõ min⁹ ac cæteræ personæ propter rationis idenditatē Juramēto Judicio obstrict⁹ esse debet, quod ipsū tamē for. Saxon., quantumvis etiam actuarius præsentib. subditis juramentum dixerit, non sufficit, sed requirit in hoc peculiari-ter, ut si causas criminales tractare voluerit, sit insuper aut ipse Notarius à Cæsare vel Comite Palatino legitimè creatus, aut talis ei adjungatur. Patet hoc ex *Elect. Saxon. cas. jur. dub. Decis. noviss. 38. §. ult.* Cujus rei rationes *B. Philippi, Socer meus, dum viveret, honoratissimus observ. 2. ad alleg. Decis. per tot.* plenius explicuit.

§. 20. Patet interim ex hætenus dictis, neque Judicem, neque ex Scabinis quempiam, quamvis simul Notariis publicis adscriptus fuerit, hisce in causis officio Actuarii simul fungi, & Acta, ut fidem mereantur, scribere posse, idque non solum propter expressum verborum Carolinorum tenorem, sed ideò insuper, quia nemo simul duarum personarum obire officium, aut uno tempore duplici muneri præesse potest. Cui accedit, quod Acta de mandato Judicis & Scabinorum consignari debeant, nemo autem sibi ipsi demandare aliquid possit, de quo *Berlich. p. 1. concl. 8. n. 22. 23. 48. & seqq.* Officium autem Notarii consistit in diligenti & accuratâ consignatione eorum, quæ notatu digna & ad rem facere videntur, quod ipsum vix satius quisquam exposuit, quam *Damboud. in Pract. Crim. c. 75.* Notabit inveniens. n. 3. cæsi qualitatem, conditionem & exercitationem, nomen, cognationem, affinitatem & similia, cui notus, cur & quomodo ea cædes commissa sit, locum ubi primum occisus repertus, notabit, pergit, omnia vulnera. (an punctim, an cæsim inflictâ n. 16.) lethalia & non lethalia & loca vulneribus affecta, notabit diem, tempus & horam, quando occisus ita à Scabinis repertus, notabit instrumenta, & postremò per quem ex cædes commissa habeatur, hæc ille. Convenit cum hoc quod antenus *Nemes. Carol. art. 149. & Carpz. in Weinlichen Inquisition Proceß tit. 3. art. 4. n. 7.* Et hæc omnia Notarius

rius manu sua scribat, necesse est, si secus Acta hæc omnia fidem prorsus non mereri *Berlich. part. 1. concl. 8. n. 43* edocuit.

§. 21. Sequuntur denique Medici, ubi non dubitandum, quin, si iudex inquisitionis via incedat, hic eosdem, si secus, partes eos vocare soleant, & ita intelligendus sit *Gail. l. 2. obser. 110. n. 2*. Circa hos autem ut plurimum quæri solet, an Judæi cadaveri secando & inspiciendo legitime adhibeantur. Quod negat *Gvazz. ad defens. Reor. def. 4. c. 12. n. 23*. & hoc ideò fortassis, quod hic actus testimonii causa expediatur, Judæus autem itaq; contra Christianum in testem non admittatur, *can. 23. & seqq. caus. 2. q. 7*. Præsupponit igitur procul dubio delicti inculpatum Christianum esse, cui hoc in casu consentit *Feltmann. de ead. inspic. c. 45. n. 8*. Quod si verò & delinquens Judæorum hæresi addictus fuerit, nihil obstare asserit, si quidem Judæus longò usu & multâ experientiâ spectatus fuerit, quo minus & illi sectio committi possit, nixus autoritate non tam *Farin. lib. 5. op. Crim. q. 127. n. 123*. quam Imperatorum *in l. 21. C. de Hæred. & Manich.*

§. 22. Sed quid de Empiricis dicendum erit? Quæstionem hanc latè excutit *Grævus ad Gail. lib. 2. obs. 111. n. 13*. eamq; rectè negando decidit, cui consentit *Ruland de Commiss. lib. 4. cap. 15. n. 7*. Rei vero rationem *Feltm. alleg. loco. c. 46*. in eo consistere ait, quod Empirici pharmaceuticæ saltim operam dare soleant, quæ cum in præsentis non de præscribendis medicamentis, sed examinandis vulneribus agatur, sufficere non possit, quod obiter saltim.

§. 23. Ex præmissis his interim patet, in re præsentis peritos esse adhibendos, quos *Nemes. Carol. art. 149*. per Chirurgos indigitat, & tales qui de vulneribus, eorum qualitatibus, symptomatibus, lethalitate & aliis solidum & exquisitum iudicium ferre possint, intelligit. Quapropter *Carpz. p. 1. q. 26. n. 33*. particula alternativâ utitur, & Medicos seu Chirurgos adhibendos esse sectionibus affirmat. Unde & hoc porrò fluit, quod Chirurgis etiam solissectiones committi possint, iisdemque omninò habenda sit fides, *Boer. Decis. 323. n. 20. Gvazz. ad Def. Reor. def. 4. c. 12. n. 3*. modo artis suæ sint magistri, & probatæ eruditionis *arg. Nov. 7. c. 3*. Neque obstat, si barbitonfores sint, siue etiam Balneatores, Chirurgiæ modò operam dederint, & tales, quos jam diximus, exhibere se possint. *Carpz. p. 1. Const. 12. def. 12. in præjudicio*. Quod tamen eo in casu tutò exaudiendum esse crediderimus, si Medici copia haberi non possit, Quapropter, svadente *Brunn. in Proc. Crim. cap. 7. n. 26*. & aliis, quibus quotidiana ob-

fer-

fervantia ad stipulatur, illi & sibi & causæ bene prospiciunt, qui sectionem cadaveris & Medicis & Chirurgis simul committunt. Unde insimul & hoc liquet, ut Medici illi in Doctorum aut Licentiarum numerum sint recepti non requiri, sed ut plurimum hodie Civitatum vicinarum Physicis res committi solere, quod placet *Ruland. de Commis. lib. 4. cap. 15. n. 6.*

§. 24. Restat ut de numero Medicorum sive Chirurgorum ad sectionis actum necessariorum quidquæ subnectemus quævis neque in *Nemes. Carol.* quæ plurali saltim utitur, neque in aliis locis certò determinatum inveniamus, binarium tamen esse extra dubium positum videtur, suffragantibus *Carpz. p. 1. q. 26. n. 24. & aliis*, quos ibi nominavit *Dd.* Unum tamen etiam sufficere in casibus 1.) si eo in loco non nisi unus peritus reperiat. 2.) si quorum interest consentiunt. & 3.) si unus ille curæ vulnerati fuerit adhibitus *Gvazz. ad Def. Reor. def. 4. cap. 12. n. 15. & seqq.* Quorum pleraque tamen non nisi iis in casibus, ubi vel alia concurrunt adminicula, vel statuto dispositum ita fuerit (quod ipsum etiam *Gvaz. all. loc. n. 20. in fine* subjungit) aut unus ille ad inspectiones cadaverum faciendas publicè sit constitutus, quod *Feltn. all. loc. c. 42. n. 7.* notavit, nos obtinere arbitramur.

§. 25. Officium eorum tetigit aliquò modò *Nemes. Carol. art. 149.* plenius exposuit *Carpz. p. 1. q. 26. n. 43.* & in eo vertitur, ut 1.) cicatricem, seu locum cadaveris, cui vulnus inflictum, dissecent. 2.) vulnera eorumque & aliorum symptomatum qualitatem exactè considerent & examinent. 3.) Assertionem de lethaliitate certam adhibeant, atque 4.) horum omnium rationes indicent atque depromant. Et hæc omnia quidem eum in finem, ut Judex, an mortuus ex vulneribus lethalibus per se aut verò per accidens, aut malâ curâ atque diceta, aut incuria Medici aut aliis accidentibus, quæ Reus luere non tenebitur vitâ functus fuerit, cognoscere & secundum hæc pœnam dimetiri possit. Quibus tamen omnib. fides nequaquæ tribuenda, nisi Medici atque Chirurgi asserta sua juramentum univerint, non solù propter expressa sanctionis *Carol.* verba *Art. sæpius alleg. 140.* sed etiam propter Jura communia, vi quorum neque peritis absque Juramento credendum esse *ex Boer. Decis. 323. n. 24.* liquet; Sunt etiam quidem, qui negativam hæc in parte tuentur, & sufficere ajunt, si Doctor aut Licentiatu Medicinæ in ipso Promotionis actu, & Chirurgus, si in ordinem recipitur, juraverint, se in omnibus ad officium suum pertinentibus officio boni viri functuros. Juramenta enim neque temerè repetenda, neque præsumendum, ut quis contra Juramentum semel præstitum

tum aliquid sit perpetraturus, quæ tamen & alia negantium fundamenta solidè resolvit, *Feltr. all. loc. cap. 50. n. 4. & seqq.* quod ipsum etiam observantia quotidiana evincit.

§. 26. Necesse itaque ut & Medici & Chirurghi juramento hanc in rem speciali obstringantur, ubi tamen sufficit, si sub muneris publici delati putà Physicatus aut aliùs initium de Sectione cadaverum ritè facienda fidem juratam dederint, cujus formulam ex *Ord. Cam. Spir. part. 1. tit. 85. & Masc. de prob. Vol. 2. concl. 1037. num. 32.* petere licebit. Hoc verò si initiò omissum, Medicos & Chirurgos etiam nolentes ad corroborandam juramento assertionem de Corpore tamen delicti saltem interno cogi posse *Heig. part. 2. quest. 26. num. 65. & 66.* deduxit.

§. 27. Præstabunt interim & Medicus & Chirurgus non juramentum solùm credulitatis, quod volunt *Mascard. de Prob. Volum. 2. Concl. 1037. num. 37. Guazz. ad def. Reor. def. 4 e. 12. num. 14.* aliique ibidem citati, & si internum Delicti corpus sive lethalitatem respexeris, rectè quidem, sed etiam si, ut de externo sive corpore facti jurent, contingat, juramentum veritatis, quod ex *Oldek. Tit. 2. observ. Crim. 7. n. 5.* evincitur.

§. 28. Majoris ponderis esse videtur quæstio, quæ, utri, si Medici & Chirurghi super vulneris vel lethalitate, vel non lethalitate aut symptomatibus aliis conveniant, credere Judex debeat? quæritur. Ad quem alii respondent datà pro utraqve sententia votorum paritate, illis, qui vulnus non lethale asserunt, fidem habendam esse *Guazz. ad def. reor. 4. cap. 12. num. 27.* Alii assumendum esse tertium vel quartum, quod *Salicet, ad l. 6. C. de sec. Nupt. num. 10.* existimavit. Alii contra magis Doctores quam non Doctoratos *Guazz. all. loc. num. 4.* audiendos esse putant. Alii porrò in officio publico constitutis plus, quam reliquis tribuendum autumant. Alii ad ætatem respicendum & Judicem magis seniores, quam juniores sequi debere contendunt, de quo latius *Feltr. all. loc. cap. 43. n. 11.* Quæ omnia tamen cum valdè dubia sint & ita comparata, ut vitam & salutem hominis hisce committere multum periculo sum sit, rectiùs agunt, qui totum negotium ex rationum pondere dependere existimant, quapropter tutissima via incedunt Judices, qui collectis dissentientium opinionibus & relationibus, modò respectu vulnerum in se consideratorum conveniant, Acta & rem Judicio Collegii cujusdam Medici probati subjiciunt ab eoque decisum expectant, quorsum hæc in parte plures ab Amplissimis Scabinis nostris Lipsiensibus remissos fuisse ipsi meminimus.

§. 29. Unicum adhuc circa assertiones five attestationes Medicorum excutiendum restat, dum quæritur an eadem in rem judicatam transeant atque labantur? Sunt equidem, qui affirmativam defendunt & tales Medicorum assertiones contrarias non admittere existimant, quos *Mascard. de Prob. Vol. 2. concl. 1037. num. 40.* nominavit. Negativam tamen veriorem esse & hic ipse *Mascard. all. loc. num. precedente 39.* comprobavit, quem sequuntur *Bajard. ad Jul. Clar. lib. 5. recept sent. §. homicidium num. 154. & Crapzov. p. 1. quest. 26. num. 47. & 48.* Cujus rationem *Farin. part. 5. Op. Crim. quest. 127. num. 128.* in eo consistere ait, quod Medici non ex certa scientia, sed ex eo, quod credunt, pronuntiant, quod & verum. Fallere tamen hoc ipsum in casibus 1. si reus ipse Medicum adduxerit 2. Si ab eo non fuerit provocatum & 3. Si sententiam plus una vice retractare reus voluerit *Feltn. all. loc. cap. 41. num. ult.* contendit.

§. 30. Et hæc de homicidio simpliciter & in se considerato. Dantur autem certa homicidiorum genera peculiaribus qualitatibus ita vestita, ut in iis per solam ocularem inspectionem Corpus Delicti indagari non possit, sed illud ipsum aliunde & ex jam dictis qualitatibus simul peti oporteat, quam rem quædam, quæ sequuntur, exempla reddant illustriorem.

§. 31. Dependent autem illæ qualitates vel à delinqvente, vel à delicto ipso.

§. 32. Ad prius genus referenda sunt homicidia, quæ à sanguine vel affinitate junctis in consanguineos vel affines perpetrantur, in quibus omnibus quamvis factum ipsum vulnere umque lethalitas probata fuerit, ut tamen de Corpore Delicti plenè constet dici non poterit, priusquam consanguinitatis sive affinitatis nexus demonstratus simul fuerit. Cum enim in eodem nexu forma Delicti consistat, fidem ante omnia de eodem Judex diligentissime conquiret, ne hallucinetur in dictandis suppliciis, & eos quos jura Parricidis non adnumerant (de quibus consulendus *Crapzov. Prax. Crim. p. 1. quest. 13. a num. 31. usq. ad num. 38.*) ad pœnas tamen in eosdem scriptas condemnet. In qua quidem probatione consanguinitatis pariter & affinitatis, consanguinitatis etiam spiritualis (si *Farin. Op. Crim. lib. 11. 5. quest. 51. num. 31. & Menoch. de Arbitr. qq. lib. 2. cas. 355. num. 16.* statuentibus, quod etiam in parentem & filium spiritualem parricidium committatur, subscriberemus,) quandoquidem justis nuptiis nititur, parum difficultatis latere existimamus, in liberis ve-

verò naturalibus, in quos parricidia activè pariter & passivè cadunt
teste Berlich, Part. 4. Concl. 6. num. 34. & 26. rem & quæ ratione ad pro-
bationem consanguinitatis ad effectum irrogationis poenæ deveniri pos-
sit, non adeò planum esse deprehendimus ideò, quia patres spurios & na-
turales ex se natos rarò agnoscere; sed imprægnationes, ut plurimum,
constantissimè negare videamus. Hic verò ut veritas exquiratur & di-
gnis parricidia vindicentur poenis, unde sibi consulat Judex? Filiationis
enim probationem aliàs in se & sua natura difficilem & ferè impossibilem
*ex l. 83. ff. de cond. & demonstr. patet, exinde scil. quod non in sensus te-
stium cadat, Mascard. de Prob. Vol. 1. concl. 409. num. 1.* Ann igitur
conjecturis ex quibus jura aliàs Filiationem præsumere solent, puta no-
minationi, Tractatui, alimentationi, famæ, & similibus, de quibus fusiùs
Menochius lib. 6. Præs. 53. per tot. condemnatoriam suam superstruet?
Minimè gentium! Quantumvis enim, quas nominavimus, præsumptiones
in causis Civilibus ad condemnationem sufficere videantur; cum tamen
in Criminalibus ex solis præsumtionibus nemò graviori mortis poenâ af-
fici possit, utcunqve plures etiam imperfectæ concurrant, quia plenam
probationem non faciunt *Ægid. Boss. in tit. de convict. num. 22. & 23.*
mitiorem in poenalibus hisce amplectetur sententiam, & non nisi simpli-
cis homicidii poenam reo in casu hoc dubiò imponet, secundum ea, quæ
quæ tradit *Jacob Schulz in addit. ad Mod. Pistor. Part. 3. quest. 133.*
num. 25.

§. 33. Pertinet ad prius hos genus etiam Assassinium, in quo æquè
minus de Corpore Delicti plenè constare dici poterit, quamvis per ocu-
larem inspectionem vulnus lethale & ex hoc vitâ functum fuisse homi-
nem probatum satis fuerit, nisi deducatur in simul, conductionem & lo-
cationem operæ certo pretio intervenisse *Seb. Guazz. ad Def. reor. def.*
4. cap. 13. num. 1 Locationem atqve conductionem hanc verò quod atti-
net, ex ipsius contractus vi & natura sequitur, non solum pollicitationem
conductoris hac in parte satis esse sed etiam requiri præterea, ut locator
promissionem pretii acceptet & adeò uterq; ad præstationem hic operæ il-
le, pretii se obliget, quæ omnia per se patent: Hoc tamen præ cæteris no-
tandum, operam in hoc delicto non in vulnerando, sed occidendo confi-
stere, ita ut quantumvis quidam pro certo pretio alteri se vulnus inflictu-
rum promittat, licet mors insecuta fuerit, Assassinii tamen nec inculpari
ri, nec ejus poenâ affici possit. Multò minus & hoc silentio transili-
endum, operam hanc ad occidendum certam personam, Christianus sit.

aut in terra Christianorum & infidelium vivat nec ne quod eadem
Jul. Clar. li. 5. §. Assassinium num. 2. videtur, in Crimine Assassinii loca-
ri, quod *Mascard. Vol. 1. concl. 138. num. 1.* dum *Alciat. Cons. II. n. 13.* mi-
lites pro Assassinis habenti dicam scripsit, notavit. Pretium autem quod
intervenit verum requiritur, quò ipsò quidem operas ad complacentiam,
ut *Dd. loquuntur*, alterius susceptas excludimus consentientibus *Seb. Guazz. all. loc. & Carpzov. in Pr. Crim. quest. 29. num. 27.* contra *Glof- satores Clar. in animadvers. ad §. Assassinium lib. 5. sen. lit. a.* Sufficere tamen & solam pretii promissionem, acceptata saltim à locatore fuerit, *Damboud. in Pr. Crim. cap. 83. num. 6.* credimus, nec quicquam interes- se putamus, an solvatur pecunia numerata, aut aliud quodquam preti- um, quantumvis in re vel minima consistat, præstetur aut promittatur, cujus rei, si operæ pretium videretur, ex autoritate multorum arcessere fi- dem possemus. Hæc interim pro illustratione Delictorum, quorum pe- culiaris qualitas pro vera corporis Delicti indagacione à persona delin- quentis pendet, dixisse sufficiant, ex quibus patet, verum omninò esse, quod suprâ posuimus, in hisce delictis qualificatis ex solâ oculari inspe- ctione indagari Corpus Delicti non posse.

§. 34. Evenit autem hoc ipsum in aliis etiam delictis, in quibus peculiares illæ qualitates non à persona quidem delinquente sed à seipsis dependent, quorsum præ cæteris collocamus veneficium, quò homo propinato veneno moritur. Delictum hoc licet signa rarò externa, spargat & post se relinquat, ex interioribus tamen in imò ventre, thorace & visceribus latitantibus judicari nonnunquam posse, an quis venenò interemtus fuerit *Thom. Reines. in Schola Actorum Medic. lib. 7. Sect. 2. c. 3. §. pen.* evincit; Neq; verò, quamvis Medicus secuerit corpus testa- tusque mortuum ex venenò interemtum esse, de Corpore Delicti ad ef- fectum condemnationis constare dici poterit exinde scil. quod signa illa sæpè sint valdè fallacia, incerta *Reines all. loc. & vel aliundè originem trahentia, vel ex veneno in corpore ex humorum malitia genito cum signis veneni propinati convenientia Seb. Guazz. d. l. def. 4. c. g. num. 12.* In qua litem quidem nostram non facimus, Nititur interim Delicti Corpus in veneficii crimine in hisce duobus 1) Scil. venenorum fuisse pro- pinatum 2) venenum propinatum fuisse noxium *Farin. op. Crim. lib. 1. Tit. I. quest. 2. num. 30.* Prius confessio rei suppeditabit, cui, licet eadem aliàs, ut suprâ dictum, per se pro constituendo Delicti Corpore parùm, facere possit, hæc tamen in parte, si, quod præsupponimus, adminiculò
testi

testimonii Medici adjuta fuerit, tribuere quidem Judex aliquid poterit, Cum tamen quoad posterius non nisi periti de propria veneni veritate judicium firmum ferre queant ulterius progrediendum est Judici & in ipsum venenum penitus inquirendum. Solet itaque, qui prudentior & circumspectior est, simulac reus veneficii inculpatur, ex eodem sciscitare, numne cibi vel potus, cui venenum admiscuerat, vel etiam veneni ipsius, quidquam superfit? Hoc ubi latitet? unde ipsi veneni copia data? qualem colorem gesserit istud? quantum reus adhibuerat? qualem se defunctus, dum viveret, sumto veneno gesserit &c. Harum itaque circumstantiarum si certior factus fuerit Judex cibum & potum veneno infectos, vel etiam medicamentum ipsum, Judicio Medici submittere solet, qui virtutem ipsius probe perscrutatus Judicium an ex DATO VENENO, in quo cardinem totius negotii consistere *Farin. all. loc. ovm. 34.* notavit, mors secuta fuerit, feret, judicemque sententiam laturum informabit.

§. 35. Affine huic delicto est Sortilegium, per quod quidem non omnia maleficiorum genera, quae alias vox haec sub se comprehendit, sed solum veneficium, quo nefariis carminibus, diris imprecationibus, immundorum Spirituum immisione, & pharmacis à Diabolo preparatis in perniciem ac necem pecudum & hominum venefici utuntur, quae descriptio *Carpz. Pr. Crim. p. 1 q. 48. n. 6.* placet, intelligimus, ita ut strictiorem significationem, quam alias sortilegium pactum cum Dæmone involvit, sub eadem comprehensum non velimus. Quantumvis verò res ad eandem ferè rationem, quam de veneficio simplici §. precedenti tetigimus, per omnia recidat, ex hoc tamen in praesenti dubium resultare videtur, quod Medicus veneni illius, aut mediorum aliorum, quibus homini, aut pecudi perniciem aut mors ipsa contracta fuit, copiam sibi facere & ex artis lege examinare vix possit. Quod ipsum equidem verum, nihilominus tamen Medicos certos habere typos & indices, ex quibus ejusmodi morbos & vulnera cognoscere possint ex Tractatu D. Bartholomæi *Carichters*, quem de fundamentali curatione morborum & vulnerum ex Fascinatione ortorum conscripsit, colligendum. Et hoc quidem in hominibus adhuc viventibus, ita procedet: Quod si verò illi, jam morte extincti & putredine conlumi sunt, ex fama & testibus, penes quos de mortui morbo notitia erit Corpus delicti eliciendum esse arbitramur.

§. 36. Spectat huc insuper Latrocinium, quo caedes spoli causa committuntur. Ubi ex ipsa Delicti natura profluit, quod Judici non
suf.

sufficiat certo esse ex vulneribus per latronem inflictis vita quæ-
piam functum; sed in hoc potissimum inquirat, necesse est, an cædes lu-
cri causa commissa fuerit: Sunt equidem non infimæ notæ Dd. & inter
eos *Matth. Coler. p. 1. Decis. 185.* qui latrocinia non nisi in viis publicis per-
petrari existimant, ex quorum opinione, si stare, Corpus Delicti non so-
lum in cæde spe lucri commissa; sed etiam, quod in via publica ita pec-
catum fuerit, consisteret. Verum cum ab iisdem, si non majoris, paris
tamen famæ, Doctores secessum faciant, & ex illis, quidem *Damboud. in*
in Pract. Rer. Crim. c. 56. n. 2. Althus. Dicæol. lib. 1. cap. 130. n. 23. nec non
Carpz. in Pr. Crim. p. 1. q. 22. n. 19. & seqq. & hic postremus quidem non
temerè, sed certis motus rationibus, firma stabit nostra sententia, quod
Judicem in latrocinii crimine de solo lucro, quod occidens sibi ex cæde
promiserat, soliticum esse oporteat, qui parum curabit, an in sylva, via
publicâ, aut domo quâdam delictum hoc perpetratum fuerit. Neque
verò luerum vel ex magnitudine & pretio, vel reali perceptione æstima-
bit hac in parte Judex, ideòq; si compertum habeat latroni rem vel mi-
nimam, vel aliud quidquam, modo lucro habitum fuerit, vel nihil profus
cessisse, sub hoc modo spe jugulatum vel aggressum fuisse quæpiam,
tanquam certus de Corpore Delicti, tutò ad dictandam condemnatoriam
devenire poterit, quod latius persecutus est *Mcnoch. de Aff. d. qq. lib. 2.*
cas. 357. n. 14. & Carpz. p. 4. Const. 5. def. 5. 6. & seqq.

§. 37. Coincidit denique cum delictis hæctenus enumeratis Ab-
ortus, ubi matres vel alii partum in utero vel abigunt, vel perimunt, vel
matri, ut tale quid tentet, mandant. Licet enim & in hoc casu vel ex si-
gnis, quæ partus gerit, vel aliunde appareat, vim ipsi vel illatam, vel per
expultrix aliquod medicamentum ex utero ipsum coactum fuisse, ad de-
cernendam tamen pœnam certam descendere Judex tutò non poterit,
priusquam præ cæteris de duobus certum se reddi curaverit, & posteriori
quidem in casu an medicamentum vim expultricem gesserit, utròque
verò an partus animatus fuerit, nec ne: Illud quod attinet in §. §. ante-
cedentibus rem plenius excussimus; ideòve de officio Medici denuò
in præsentem quidquam repetere vacantis operæ rem arbitramur; Hoc au-
tem quod concernit, in eo quidem Jcti & veteres & recentiores conve-
niunt, pœnam exinde, an partus animatus fuerit nec ne dimetiendam
esse, quò etiam tendit *Sanctio Carol. art. 133.* Quo autem tempore fœtus in
utero matris animam sumere incipiat, de eo diversæ & variæ fuerunt &
sunt



funt etiamnum extra nostras terras Dd. opinionēs quas, *Berlich. p. 4. Concl.*
§. à n. 13. usq. ad 20. operose congregavit. Ne tamen nostro in foro diver-
sitas hæc opinionum inæquales ejusdem Delicti reis pariat pœnas, Seren-
nissimus Saxo per *const. 4. part. 4.* omne, quod hæctenus movebatur,
dubium sustulit, sanciendo factum post dimidium uterum gerentium
tempus pro animato omninò æstimari debere. Si itaqve apud Nostros
ex Medicorum relatione pateat, supra dimidium, quò partus aliàs edi so-
lent, tempus utero materno inhæsisse, qui per abortum expulsus erat fœ-
tus, certus omninò de Corpore Delicti erit, & reum gladio feriri, sin mi-
nus, arbitrariè puniri faciet, Judex nec quidquam, sive paupertatis, &
quod partum adventurientem vel alere non potuerit, vel alius causâ, mo-
dò dolosè, de quo infra abortum huncce promoverit, curabit.

§. 38. Quæ de primo facti permanentis Delicto, Homicidio scilicet
simplici & qualificato dixisse sufficiant.

§. 39. Subjungimus huic furtum, delictum facti permanentis,
in quo non minùs, atqve in aliis Corpus Delicti ex generali necessitatis
lege requiritur. In eo tamen diversa, quam in Delictis prioribus ratio-
ne, ad illud ipsum deveniendum esse comperimus. Licet enim con-
tingat nonnunquam, ut res furto surreptæ aliis in locis, vel mediante
perquisitione ædium judiciali inveniantur, vel fur cum rebus furto subla-
tis deprehendatur, non tamen non solum ex hoc tantum de Corpore De-
lictis plenè & ad affectum condemnationis ad ultimum supplicium con-
stare poterit; Sed aliud requiritur insuper, ex quo Corpus Delicti consti-
tuendum, de quo in sequenti pluribus. Interim circa jam dictam inqvi-
sitionem ædium ulterius non multum scrutabimur in præsentem: an ean-
dem invito ædium Dominò privatus quidem impune arrogare sibi possit,
cum hoc ipsum in *l. 23. ff. de injur. & l. 18. ff. de in jus voc.* negativè deci-
sum reperiamus. Postquam itaq; hîc actus ex autoritate Magistratus
publica dependeat, quæritur, ad quamnam Jurisdictionis speciem perqui-
sitione illa, nobis *das Haus suchen* pertineat. Ad quod rectè *Berlich. De-
cis. 120.* respondet, pertinere eandem ad bassam Jurisdictionem ideò scilicet
quod fiat non ad puniendum, sed inquirendum & quidem generalissimè,
quod quilibet Judex facere possit.

§. 40. Revertimur jam ad furtum ipsum, cujus fontes tres ex quibus in
eodem Corpore Delicti petendum Serenissimus Saxo *Const. 33. p. 4.* aperuit
quidem, sanxitque ut ad eos præcipuè Judex in pœnis ea propter dictan-

D

dis

dis recurrere debeat & 1. ad personam, cui 2. ad locum, ubi, & 3. ad tempus, quando, nobis tamen in presenti aliunde adjicere liceat 4. lucrum scil. & quantum furatus fur fuerit. Præsupposuit scil. nobiscum præprijis Serenissimus Legislatores furem rem surreptam invito Domino contractasse, deinde verò pensitavit, fieri sæpissimè solere, ut res sublata consumantur prius, quam fur deprehenditur, ideòq; easdem oculis subijci non posse, quapropter ne hac ratione grave illud delictum perpetrantes ordinariam poenam effugiant, sufficere censuit ad Corpus Delicti & dictandum inde ultimum supplicium, si habita diligenti inquisitione circumstantiæ hæ nominatæ verificentur, & contra, quamvis res furtivæ adhuc supersint, & delinquens, quod illas furto sustulerit, confiteatur quidem, supra tamen propositæ circumstantiæ indicari nequeant, neque de Corpore Delicti plenè constare dici, neque ideò, cum sola confessio hoc non constituat, poenæ ordinariæ subijci possit, de quo latius *Mod. Pist. part. 3. q. 117. ibiq; Jac. Schultes in addit.* Præterea ex his ipsis fontibus, si Judex eosdem lustratus probè fuerit, adminicula facillè fluent, comperiendi an forte furtum hoc certâ qualitate vestitum sit, cui simul aliunde, quam ex sola furti veritate Corpus Delicti constituti oporteat, quod poenam vel duriorem vel mitiorem mereatur. Contingit hoc ratione personæ considerandæ, cui res sublata fuit, dum si vel DEO, undè furtum in Sacrilegium degenerat, vel parentibus, vel liberis, vel aliis personis intra quartum gradum cognatis, vel conjugibus, & affinibus, quorum posteriorum gradum *Carpz. Pr. Crim. p. 2. q. 82. n. 49.* determinat, in utroque casu diversissima est poenarum irrogatio. Ut enim jam taceamus, quid iura Civil. hæc in parte sanxerint, quodq; ex *tit. ff. & C. de reb. amot. & aliunde* operosè congestit *Tholos. in Syntagm. Jur. lib. 37. c. 11. per tot.* quæ quamvis de actione contra amoventes competente loquantur, ad ipsam tamen inquisitionem inde argumentum procedere *Nicol. Boer. Decis. 26. n. 2. Job. Gæd. ad l. 131. n. 10. & seqq.* evincit; in Terris nostris Saxonitis *inter Constitutiones Electorales non aditas extat. 6.* quæ eò instruit Judices, ut priori quidem utiq; posteriori verò casu nequaquã ordinariã furti poenam delinquentibus imponant, sed castigent eosdem saltim arbitrariè, Pari ratione, si judex locum commissi furti expendat, inveniet facillè, an furtum, vel cum, vel sine effactione, an forte vel in re inventa, vel concredita, aut alia ratione perpetratum fuerit. In his itaque & cæteris omnibus qualitas, quæ inhæret maleficio intrinseca Corpus Delicti

con-

constituit, secundum quam etiam poena dimetienda. Sic porro 3. in
exquisitione temporis, quando peccatum fuit, experietur Judex, an præ-
scriptio fortè in delictis hanc quidem agnoscentibus juvet accusatum. Et
4. ratione pretii, & quantum furatus fur fuerit, ad 5. solidorum
valorem examinabit illud Judex, quod ipsum in sequentibus laxius de-
monstrabitur.

§. 41. In Sacrilegio itaque, ut Corpus Delicti evolvamur causæ
ratio postulat, ubi quidem ad hoc, ut dicatur furtum sacrilegium Corpus
Delicti consecrationem loci pariter unde, & rei, quæ surrepta, factam fu-
isse, requirit. Quamvis enim, quando res sacra ex loco profano, vel res
profana ex loco sacro surripiatur, hæc delicta etiam sacrilegia dicantur,
prout patet ex *Ord. Crim. Carol. art. 171.* ratione tamen poenæ dictas jam
duas species pro sacrilegio verò non haberi ex *l. 16. §. 4. ff. de poen. l. 9. §. 1.*
ff. ad L. Jul. Pecul. liqvet. Ex sola igitur consecratione loci & rei conjunctim
sumtorū res sacra hoc in capite dicitur, ita definita, quod sit res cujus usus
ususfr. & proprietas in cultū divinū, ejusq; exercitiū impenditur & conse-
cratur consentiente Jcto in *l. 6. §. 3. & l. 9. §. 8. ff. de Div. Rer. Neq;* tamē de-
stinatio aut consecratio sola rem sacrā esse efficiet; sed requiritur insuper,
ut eadem publicè, vel autoritate publica facta fuerit. *l. 9. pr. & §. 1. ff. eod.*
Ex quo posteriori & hoc fuit, quod rapientes ex æde sacra Eleemosynas
eādē sacrilegii poenā, (rotā scil. in foro quidem Saxvñ juxta *Landrecht*
lib. 2. art. 13.) puniantur. Quid verò de templis dedicatis equidem, sed
non consecratis vel pro more hodierno benedictis quod *Ziegler in notis*
ad §. 12. lib. 2. tit. 18. Inst. Jur. Can. Lancellotti animadvertit, an etiam, si
ex iis res sacra surripiatur, Sacrilegium commissum dici poterit? movet
hanc quæstionem *Bajard. in animadvers. ad Pract. Crim. Jul. Clar. §. Sa-*
crilagium n. 4. & negando eandem ex *c. si quis 17. quest. 4.* decidit, ad
quem brevitatis studio B. L. remitto.

§. 42. Restat, ut de valore, ex quo vel maxime in furtis hætenus
recensitis Corpus delicti æstimandum aliquid subjungamus Examinan-
dus ille itaque semper erit, ad quin que solidos tum juxta jus Imperiale,
tum Saxonicum, quorum prius *Sanctio Carolina art. 160.* posterius verò
Const. Elect. D. Augusti 32. §. 6. part. 4. nititur. Ubi quidem in eo quid per
solidum intelligatur, nondiu hæremus siquidem illud ipsum Interpp. Ju-
rium allegatorum *Matth. Steph. ad arr. 160. Car. Sanct. Berlich. part. 5.*

Concl. 43. num. 30. & Carpzov. Pr. Crim. p. 2. quest. 78. num. 3. & seq.
fatis latè exposuerunt, ex hisque postremus simul animadvertit, quod si va-
lor solidi excresecat, quod tempore arosò contigisse meminit, ille ex
communi usitato & uulgato valore aestimandus sit, neque hoc in dubium
vocamus; si plures Criminis hujus sint socii, quamvis non ad quemlibet
eorundem quinque solidi pervenerint, in hoc tamen casu plenè de Cor-
pore Delicti constare, si modò pervenire potuerint, In eo tamen plus
momenti consistere videtur, à quoniam valor pretium rei furtivæ deter-
minandum. Duos in hac re Dd. constituunt casus, in quorum altero
res surrepta extat adhuc & oculis Judicis exponi potest, ubi extra dubi-
um, quod Judex ipse adhibitis tamen certis, qui rem scire præsumuntur, his-
que juratis Magistris *Menoch. de A. A. Jud. quest. 58. num. 14.* eum
taxare & constituere pro firmando Corpore Delicti pretium possit; In
altero verò res vel consumpta vel aliàs non reperienda, & tunc Decisum
ex *l. 9.* (UNDE VI desumi poterit, ut qui furtum passus fuit, sacramento
æstimationem rerum, quas perdidit, manifestet, de quo latius videndus
Brunnem. in Comment. ad all. L. 9. qui inibi, quâ ratione impediendum
ne in immensum juretur, & quod hac in parte taxationem Judicis in-
tervenire oporteat, & eam excedere vim passus non possit exponit. Quæ
omnia de furto uno quinque solidorum valorem excedente exaudien-
da. Cæterum sicut notissimi juris & communis *Menoch. lib. 2. A. A. Jud.*
qq. Cent. 3. cas. 295. num. 17. & Saxonici *Const. Elect. D. Augusti 32. p. 4.*
S. 4. quod si fur trina vice res, quantumvis modicas & parvas, furatus
fuerit, dummodo res illæ omnes in computo 5. solidos constituent, or-
dinariâ furti poena sit puniendus; ita in hoc casu de Corpore Delicti ad
effectum condemnationis constare non poterit, nisi probatum fuerit in-
fratim, quod tria illa furta vel diversis temporibus, vel diversis in locis
commissa fuerint, ex quo sequitur, si fur una nocte ad diversas tres domos
se conjecerit, in earundemque singula rem quandam modicam subri-
puerit hoc ipsum tamen pro uno solum furto habeatur & contra *Berlich.*
p. 5. Concl. 43. num. 99. & seqq. Menoch. de A. A. J. qq. lib. 2. Cent. 3.
quest. 295. num. 20. Neque movebit judicem quid, quam si ex prioribus duo-
bus furtis unum atque alterum, vel per gratiam Principis vel per præscri-
ptionem sit sublatum. Quamvis enim verum sit quod tunc remissa illa
vel præscripta furta respectu sui ipsius puniri non possint, facere tamen
eadem ad aggravandum furtum tertium ex *Jul. Clar. lib. 5. sentent. S.*

Fur-

Furtum num. 12. & 13. Bajard. in addit. ad Jul. Clar. num. 63. & seb. &
aliis ibidem citatis discimus.

§. 43. Est tamen & alia quaedam furti species in qua æque minus, atque in latrocinio ratione dictandæ poenæ Judex ad valorem rei surreptæ respicere debet, Rapina sive Robaria vulgò dicta; cum enim per eandem securitas publica violetur, non tam valor, quàm viarum inquietatio attendenda veniet, ex quo fluit, quod in hoc Crimine de Delicti Corpore dum demum constare dicatur, quando probatum rapinam in via publica & vi fuisse commissam. Prius quod attinet, de hoc dubium, vix superesse poterit, quippe cum inter alia & hoc ipsum inter latrocinium atque rapinam differentiam potissimam constituat *Carpzov. p. 2. quest. 90. num. 3. pr. Crim.* Posterius verò quod concernit, patet illud æquidem ipsum ex *Ord. Crim. Carol. art. 126.* & in foro nostro Sax. *ex part. 4. Const. 35. §. ult.* quæ verò violenta sit deprædatio & ad eandem infligendam protali æstimari debeat difficultatis quidquam fovere videtur, in qua tamen eum *Carpzov. pr. Crim. p. 2. quest. 91. n. 4. & seq.* latius, succinctius verò *in def. 7. const. 35. Part. 4.* eandem evolverit, moras non nectimus, arbitrio Judicis æquidem hac in parte aliquid tribuentes, qui tamen non semper ex armis, ex dispositione *in l. 3. pr. ff. ad L. 7. de vi publ. & l. 3. §. armis ff. de vi & vi armata & l. 4. ff. de V. S. vim* istam hostilem æstimabit. De hoc itaque si certus fuerit Judex tutus huic delicti Corpori ultimi supplicii poenam superstruet, nec movebitur, quod res, ut supra dictum, vel minima surrepta, vel eadem ilicò restituta fuerit. Et hæc de furtis in rebus commissis, quibus quidem alia plura subnectere adhuc possemus, verum ne Leges Disputaionis transgrediamur, pedem in præsentem figimus, paucissimis saltim in hac materia Furtum in hominibus commissum considerantes, cujus duæ sunt species plagium altera, altera Raptus.

§. 44. Priorem & Plagium quod attinet, hujus definitionem *Brunnem. ad l. 1. C. ad L. Fab. de Plag.* exposuit hæc ratione, quod sit suppressio fraudulenta liberi hominis vel servi alieni lucri faciendi causa. Unde facilè in quo Corpus Delicti hujus Criminis consistat, & quod non, quia hominem saltim seduxit, pro plagiario habendus sit, colligendum. Primum est suppressio hominis, quæ juxta *l. 6. §. ult. ff. ad L. Fab. de Plag.* surreptionem, detentionem, & oblationem sub se comprehendit, 2) suppressio illa fraudulenta sit, necesse est, quæ quemadmo-

dum consensum hominis detenti excludit *arg. l. 15. C. eod.* ita pro fraudulento surreptore habetur & ille, qui quamvis non vi blanditiis tamen & sollicitationibus hominem seduxit, 3) requiritur. ut seductus alieni juris & 4) lucri causa detentus fuerit. De his quatuor si certus sit Judex de Corpore Delicti satis constabit eidem, ita ut ad condemnatoriam tunc devenire possit. Sunt equidem qui quæ hactenus diximus in iis scilicet, qui talia committere soliti sunt, obtinere existimant, inter quos *Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. fin. num. 31.* nominandus, & his etiam *lex fin. C. ad L. Fab. de plag.* ad stipulari videtur, hodie tamen hoc unicum plagium, ultimum supplicium merereri ex *Carpz. Cart. 2. quæst. 83. num. 85. & seqq.* patet.

§. 45. Altera prædicti furti species est Raptus, in quo non secus, ac in præcedenti minus sufficiet solà seductio quantumvis violenta; sed si raptus commissi convinci aliquis debet requiratur ad constitutionem Corporis Delicti 1) seductionem illam invita foemina, eaque 2) honesta 3) in alienum locum & 4) libidinis exercendæ gratia facta fuerit *Petr. Theod. in Colleg. Crim. d. isb. 6. th. 8. & seqq.* aliàs si hæc omnia conjunctim non concurrant non Raptum, sed vim publicam commissam esse, dicendum *l. 3. §. 4. & l. 65. §. 2. v. d. L. Jul. de vi publ.* Quoad 1) dissentit *Clar. lib. 5. sent. §. Raptus num. 3.* asserendo, quod etiam in muliere consentiente Raptus committatur, cujus mentem explicat *Brunn. ad L. 1. C. de Rapt. Virg. n. 20.* hoc scilicet intelligendum esse de casu, quò puella blanditiis atque promissionibus ad consensum perducta fuit, quod verum, ceterum quod 2) honestas illa non ex conditione & statu *l. un. C. de Raptu* cujus tenore in puellis *SERVIS* etiam committi raptum, sed ex vitæ, quam gessit, ratione, æstimandam esse, liquet. Unde in apicò positum in meretrices & concubinas per ea, quæ de posterioribus *Menoch. d. A. A. J. qq. lib. 2. Cent. 1. quæst. 69. num. 6.* tradit, non cadere quamdiu ad meliorem frugem se non recipiant, ideoque de actuali vitæ meretriciæ & concubiniæ exercitio hæc quæ jam dicta, interpretanda esse ex iis, quæ *Berlich. p. 5. Concl. 41. n. 55. & seqq.* tradidit colligendum. Interim notandam, quod *Clar. lib. 5. sent. §. Raptus num. 4.* ratione 4) requisiti placuit, sufficere scribi in raptu solùm exercendæ libidinis propositum, nec necessarium esse ad infligendam *d. l. un.* poenam ut Raptor ipso actu raptam cognoverit, quamvis quo minùs eò devenire potuerit, fuerit impeditus, cum ex proposito, non ex eventu æstimari, oporteat hæc delicta.

§. 46. Pertinent huc eadem & alia delictorum species, falsificatio scilicet monetæ, falsa alia, incendium, & quæ paræ sunt furis, quæ maximam etiam partem jam elaboraveramus; Cum verò deprehendamus Disputationis limites, ut has inferamus, non pati, alii easdem occasione reservamus, non interim dubitantes, quin per ea quæ hætenus dicta materia nostra illustrata satis fuerit. Cui hoc unicum adhuc subnectimus, an scilicet reus pro Corpore Delicti tormentis subijci possit. Ad quod *Carpzov. pr. Crim. p. 1. quest. 16. num. 9. & seq.* tum demum si delictum jam confessus quidem fuerit, locum tamen ubi perpetraverit, vel Corpus hominis occisi projecit, indicare nolit reus, terreri eum posse, respondet.

CAPUT III.

De

DOLO AD CONSTITUENDUM CORPUS DELICTI IMPRIMIS NECESSARIO.

§. I.

Omnia tamen hæc, quibus prolixè inhæsimus, dolum præsupponunt, ita ut quamvis quoad cætera cuncta de Delicti Corpore constet, nisi etiam simul probetur Dolum intervenisse plenè de Corpore Delicti certus esse Judex dici non possit. Fundamentum hujus non solum *l. 2. sect. ii. em. illud ff. ad §. Syllan. verbis scelere interemptum.* sed & ipsa delictorum communi forma, quæ absque dolo delictum nunquam committi potest nititur *l. 1. D. de injur. §. l. 33. ff. eod.* Dolus hic in animo consistit & deliberato proposito delinquendi ut noceatur, & quamvis difficilis probationis esse dicatur per ea, quæ tradit *Menoch. de A. A. §. qq. lib. 2. cent. 2. num. 21.* & liquidissimam ejus probationem requirat *Brunnem. in Comment. ad l. 10. de reb. cred. num. 4.* nihilominus tamen hæc omnia cessare in actibus per se illicitis, in suisque dolum præsumi ex *l. 5. C. de tnjur. Mascard. de prob. Volum. 1. conclus. 531. num. 25.* evincit, neque verò & hoc semper, siquidem ex definitione doli fluit, quod qui propter ætatis vel morborum rationem firmo judicio discretionis boni à malo non pollent, neque deliberato animo nocere præsumant.

19.

tur, adeoque si tales Crimen committant in eo de Corpore Delicti plenè
constare non possit in quorum tamen prioribus ætatis gradus, ; In poste-
rioribus autem intervalla, & eorum rationes Judex circumspectus pensi-
tabit, iisdemq; poenas dictandas commensurabit. Quæ omnia cum
clariora sunt, quàm ut explicationis nostræ indigeant, nos diutiùs non
detinebunt.

§. 2. Denique de usu & effectu eorum, quæ hactenus, explicui-
mus quædam subjungenda essent, verum cum eadem hæ pagellæ non
capiant, & illa alii occasione quæ se propediem offeret refer-
vamus, & Disputationi huic nostræ
imponimus

F I N E M.







Leipzig, Diss., 1675 (1)

ULB Halle

3

004 581 636




TA → OL

f nur 1 + 9 Stück verbunden

VD17





20.

Gr. 2. num. 22. ~~1679~~

Divinâ favente Gratiâ, 1679, 16

Consentientibus Superioribus,

De

CORPORE DELICTI
IN CRIMINIBUS FACTI
PERMANENTIS POTIORIBUS
AD EFFECTUM CONDEMNATIONIS
CONSIDERATO

Disputabunt publicè

P R Æ S E S

P 423
Wilhelm ROMANUS, Lichtenstei-
nensis, J. U. D.

Curiae Supremæ Provincialis & Consistorii Ecclesiastici Lipsi-
ensis Advocatus Ordinarius, nec non Judicii Saxo-
Ducalis in inferiori Lusatia Assessor,


&

Respondens,

THOMAS WENCESLAUS Sattermann/
Reval, Livonus,

Ad diem 23. Octobr. Anno 1679.

Horis locoqve consvetis.



LIPSIÆ, Literis JOH. GEORG.

P. D. Sattermann 13

